



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Lucia V. & M. 13. Decembr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

animus meditantis, & præposteræ cogitationes dissipantur. Deus te videt, audit preces tuas, nec abibis impunè, si vagari animum facilè passus fueris.

2. Cave tibi à cogitationibus, quæ castitati adversantur: eò periculosiores sunt, quò blandiùs in animum nostrum irrepunt, ac oblatâ voluptate delinunt, vel uno momento gravissimum scelus admittere possumus. Cave inquam: mentem aliò diverte; mortem meditare, judicium, infernum. Ideò his molestis cogitationibus vexaris, quòd pluribus quàm par est rebus tum aures, tum oculi tui pareant, quibus tanquam fenestris, mors intrat.

3. Dæmon nonnunquam suggerit dubia circa fidem sanè periculosissima, morte præsertim imminente, at dissipantur humilitate, & oratione. Fides est donum dei, quod Christiano eripi nequit, si imploret auxilium ejus, à quo accepit. Si tamen orationibus tuis molestas cogitationes adversus fidem abigere minùs possis, adhibe repetitos fidei actus, & quò difficilius investigare te videris, eo reverentiùs admireris. Eul.

## S. LUCIA V. & M.

13. Decembr.

*In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Joan. i. Epist. c. 4.

Si



**S**I Virgo è cælo sidus lucet, Luciam esse cre-  
 didero Virginitatis laude præ aliis illustrē.  
 Hæc dum cum matre ægra ad tumbam D. A-  
 gathæ precatur, adest ecce hæc ipsa sanitatis  
 primò nuntium matri ferens, tum Luciae  
 mortis optatissimæ & pro Christo subeundæ.  
 Sic igitur moritura Lucia omnium primò te-  
 stamentum cogitat, & pauperes non jam scri-  
 bit sed facit hæredes. Id enim vero non feren-  
 dum ratus Luciae sponsus, queritur apud judi-  
 cem, & Sponsæ dotem sibi clamat deberi; hic  
 demum agnoscit in amoribus non se, sed  
 Christum esse. Mox igitur amoris ira successit,  
 Dei Nupta Lenonibus traditur, mancipiis a-  
 moris prostituenda. Sed nequeunt mille ma-  
 nus unam Virgunculam, nequeunt funes &  
 plura boum juga de loco, minùs de proposito  
 casto dimovere. Ergo sarmenta congeruntur,  
 rogos accenditur. Sed lucet pulchrius igni-  
 bus suis Lucia. Gladio trajicitur; sed vivit Vir-  
 go & Viros animat, & è flammis Imperatori-  
 bus mortem, Syracusanis præsentem opem,  
 Ecclesiæ pacem vaticinatur. Deniq; dum Ju-  
 dex in vinculis Romam abducitur capitis  
 damnandus, divino cibo recreata, cælo Si-  
 dus, ut dixi, inseritur. Sed & tibi illic adhuc  
 locus est Mariane. Stella & tu es, si Vir-



goes. Fuisti Ah! stellam cælo credas decidisse.

Ex Surio.

M E D I T A T I O.

De dignitate hominis.

1. **P**restantissima sit, necesse est, dignitas hominis, quippe cujus causâ mundum creaverit Deus, ac omnia subjecerit sub pedibus ejus cùm consideras, quidquid tum in cælo, tum in terra pulchrius est, jure dicere potes, nobilior sum his omnibus, utpotè, cùm ea omnia facta sint, ut ferviant mihi. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus?* quos his omnibus præposuisti: sed heu? parùm memores nostræ dignitatis, rebus creatis, mancipiis nostris non rarò servimus.

2. Ad hunc finem homo creatus est, ut Deum amet, & ipsi serviens, salvus fiat. Nõne tantus finis arguit hominis nobilitatem? ô homo? sursum cor tuum, Deo, creatus es. Ut quid derelicto Domino, qui fons est bonorum omnium, terrenarum voluptatum rivulos consectaris? *oculos erigamus ad cælum, ne oblectamentis, & illecebris nos terra decipiat.* Cyprian.

3. Deus clariùs ostendit, quanti faceret hominem, cùm unigenitum filium suum dedit in pretium Redemptionis ejus: patet hac redemptione, quanti valeamus, & quanti nos æstimet Deus: sed multùm sperat, qui multùm dedit. *Novis, quanti ei constiterit homo suus; non ergò nobis viles sumus, qui tam pretiosi Deo fuimus.* Euch. Emiss.

S. NI.